PRINCIPI AMPLISSIMO IO. VINCENTIO SALUIATO VIRO INTEGERRIMO INCOMPARABILI...

Angelo Maria Bandini

O D E.

QViſquis Latinae fons opulentiae
Exuberanti proſilit impetu,
Oeſtroque ſuccenſus virorum
Corda rapax, animoſque volvit,

Necnon profundo qui ſapientiae,
Atque intumenti concitus alveo:
Vt monte decurrit ſupremo
Praecipiti tumefactus unda

Amnis, per agros volvitur ingenî,
Adſit: Sacerdos dum novus abdita
Contemplor, inſcriboque Tuſcis
Carmina non peritura ſaxis;

Suique late pronus, & inſolens
Exire ripam, non tamen obviâ
Captivus algâ, nec tenaci
Ire piger per aprica limo

Tentet, ſed auro flaveat, Atticis
Ludens ſmaragdis, non ſine conſono
Liquentis electri ſuſurro, &
Murmure praetereuntis auri.

Tuique laudeis, & decus inclutum,
Clarique honoreis Sanguinis, & tuum
Poſt tot laboreis, EVERARDE,
In Patriam reditum celebret;

Vt te diſerto Pierides ſinu
Fovere naſcentem Aonio in ſpecu
Certatim, adultum Gratiaeque
Artibus inſtituere cunctis,

Vt tu citatos in numerum pedeis
Movere poſſes, & dare brachia,
Saltuſque concordeis canorae
Ad citharae ſonitum ciere;

Vt recta cornu ſpicula flexili
Torquere, & enſem ſtringere bellicum,
Vulgoque calleres ſtupenti
Per medios equitare campos.

Quin Pallas arteis diſcere nobileis
Dedit benigno non ſine lumine,
Primumque Apelleos fovere
Viribus ingenii coloreis.

Dein quicquid alto detinet in ſinu
Tellus, & aër, & mare turgidum,
Quae norma honeſti, & quae perenneis
Geſta virum celebrent in annos,

Noſti: hinc acuti Socratis aemulus,
Vbique magno nomine diceris,
Tibique non ceſſat ſtudenti
Fervere veſtibulum iuventae.

Nec iſta tantum percipis : arduos
Vitae laboreis , factaque gentium
Audire flagras , atque blanda
Otia , ſegnitiemque vitas .

Vrbem , & paterni commoda liminis
Relinquis audax , extera Nerei
Viſurus , & diverſa Regum
Sceptra ſimul , varioſque moreis .

Quae iura Danvs , quaeque Britannia ,
Rhenoque tellus humida praepete ,
Quae iura Graivs , quae peritus
Servet Iber , Rhodaniqve potor .

Sic ille Achivûm gloria militum
Aeterna laudis munera retulit ,
Sertumque , pluteis quod decenni
Viderit & populos , & urbeis

Errore Vlyſſes : ſic etiam horridis
Placaſſe mundi litora belluis
Lactatur , ingenti ſolutus
Amphitryoniades labore .

Sic

Sic illa bello non ſuperabilis
Proles PHILIPPI, quae innumerabileis
Ducens phalangeis, Indicorum
Moenia, Sauromatumque vidit,

Aeterni adeptus munera nominis:
Et iure; non tam ſcilicet urbibus,
Quam literis, doctiſque magna
Artibus utilitas redundat.

Teſtis mearum ſic celebris PLATO
Sententiarum, qui ſapientiae
Faſtigium numquam adtigiſſet,
Ni Pharias ſtatuiſſet oras,

Ardens, & ipſos Italiae ſinus
Adire, moreis Pontificum ut ſacros,
Ritusque calleret, ſeniſque
PYTHAGORAE documenta ludo.

Quin ipſe poſtquam PYTHAGORAS diu,
Perſis moratus cum ſapientibus,
Muſea doctorum ſuperba
Conſimili ſtudio reviſit.

Sic & Lycurgus, totaque Graecia
Aegyptum adivit; noſceret abdita
Naturae ut arcana, & verenda
Iura ſacris adhibenda rebus.

Hinc & vetuſtis aemula Doricis
Venit Latinis gloria gentibus,
Quae turpe credebant paternis
Vſque dies agitare terris.

Quod ſi recentis tempora ſaeculi
Spectem; quis umquam, vel ſapientiam,
Vel laudem adeptus, ni remotas
Italiae peragrarit oras?

Hoc inter omnes Lamius adſerit,
Quem longa morti fama ſuperſtitem
Ob mira, quae Tuſcis in oris
Iam reperit monimenta, ducet.

O ergo Florae perpetuum iubar,
Cui tot laborum praemia carpere,
Tantaſque doteis comparare
Nunc licuit, quibus, Everarde,

Di

Ditabis illam : non ſecus hiſpidos
Opimat agros , dum pretio gravis ,
Aurique tempeſtate dives
Nobilium ſator unionum

Ganges , avaro gemmea ſepties
Tributa ſolvit Nereidum Patri ,
Ripaſque , miranteiſque campos
Memnoniae lavat amne gazae .

Vnde illa magnae regia Palladis
Faſtigiatis Pyramidum iugis
Aequa invidendum ſublevabit
Mole caput , minitans olympo .

Hinc te ſacrati Numina Pieri
Tollent ſuavi carmine ad aethera ,
Ibique clarum ſidus , ipſa
Maior & invidia nitebis .

At quis ſedentem pectoris impetus
Repente denſo propulit aëre ,
Curruſque nimborum morari ,
Et medias reſecare nubeis ?

Et

Et cuncta terrarum infima, Regias,
Ducumque turreis, non ſine gaudio
Calcare ſublimem, & ſuperbo
Regna ſuper volitare curru?

Qualis tonanti concitus ab Iove
Ignis triſulco fulgure devolat,
Moleiſque, templa, ac duriora
Praecipiti ruit aera lapſu.

Ad aſtra tali provehor impetu,
Vrbeis relinquens, iam tero vorticis
Oram ſupremi, ac diſſipatum
Aëra, progrediorque tamdem,

Qua fulgurantis patria Numinis,
Claruſque caeli baltheus aurei,
Campique ſtellarum, & decemplex
Perpetuo redit aula gyro.

Quum pervaganti ſe Vrannie mihi
Laeto benignam lumine praebuit,
Et ſiderum caelo emicantum
Innumeros mihi pandit igneis.

Haec,

Haec, quos Quiritum tempora iactitant,
Atque Atticorum, tecta colunt viri,
At iſta ſervant, qui recenti
Iam celebres viguere ſaeclo.

Hac oro, quanta luce reſulgeant
Tot illa nobis proxima, conſpice;
Illic perennem SALVIATA
Conſtituit, placidamque ſedem

Propago; centum quae numerat Deos,
Centumque retro per populos fluit
Ceris avorum, nec ſeveri
Martis opes, Aquilaeve deſunt,

Cenſuſque magno foenore, & ubercs
Per arma fructus, urbis & otia,
Faſceſque, lauruſque, heic frementum
Turba retro titulorum inanes

Exercet auras non ſine plauſibus.
Hanc ſepta Tuſcis iura ſecuribus
Sectantur, annoſaeque leges,
Et Themis, & pietas, fideſque;

Nec

Nec non ſupellex aurea , & aſperi
  Gemmis Thyarae , tum radiantium
  Nexus coronarum , tubaeque ,
  Et clupei , trabeaeque fulgent .

Quis literatae munera Originis ,
  Fuſaſque pronâ divitias manu ,
  Vt ſemper omnes adpetentes
  Artibus incubuere honeſtis ,

Laborioſi carminis arbiter
  Aeternet ? O tu , qui gemini , Puer ,
  Delubra Parnaſſi , & canoro
  Vſque tenes Helicona cantu ,

Expergefactis ad ſonitum lyris
  Vndantis auri flumina concine ,
  Quae fuſa Salviatianis
  Per populos abiere rivis :

Non curioſis ille ligonibus
  Eviſceratae montibus Indiae , aut
  Paene emedullatum Liburnis
  Viſceribus meditatur aurum :

Nam

Nam liberali divitias manu
  Inpendit altis ſumptibus, & modo
  Per ſacra Muſarum refundit
  Atria, Palladioſque poſteis:

Hinc, quae ſupremo, ac diſſociabili
  Secreta tellus aequore, quae domus,
  Eurique, & Arctoi Bootae,
  Quaeque plagis procul ora noſtris

Non Salviati murmura nominis
  Audit? Sed iſtas eia age reſpice
  Sedeis, futuris quae parantur,
  Adſpice, quae maneant benigno

Pudicam olympo munera Conivgem;
  Quam num Dearum nomine conſecrem,
  Themiſve, an unam Gratiarum
  De tribus enumerem, colamque,

Ignoro: cedunt florea lilia,
  Et quae canoris fertur Oloribus,
  Cretamque, & undanrem relinquit
  Oceano Cytheraea Delon.

Quin

Quin & ſevero migrat ab Algido
 Parum ſereno Cynthia lumine,
 Quamvis anhelantum laceſſet
 Ira canum, timidique rumpant

Virgulta Damae. Noſcit & abdita
 Quaecumque vatum fabula reperit,
 Sollerſque priſcorum Quiritum
 Hiſtorias, Danaumque novit.

Aſt illa, Divae proxima candidae
 Inſignis olim ſpiritus incolet
 Vincenti, inaneis cui lubebit
 Delicias pepuliſſe mundi,

Quem fas, piumque, & iuſtitiae comes,
 Quocumque ſacrum laetus agit pedem,
 Candor coronat, tum fidelis
 Propoſiti ſtudioſa virtus,

Virtus ſupremas quae immeritis mori
 Sedeis recludit, fulgida honoribus
 Intaminatis, quaeque turpem
 Spernit humum fugiente penna.

Hunc

Hunc pone laeto larga Ceres ſinu,
  Rerumque plenis non ſine cornibus
  Invecta circumſtat citato
  Rura iuvans, populoſque curru;

Et retro flavum lambere pulverem
  Livor rotarum, & degeneri ſolum
  Mento cecidiſſe, & dolebit
  Vilis humi poſuiſſe corpus.

Illum & coloſſis conſpicuum dabit
  Venalis omni funere gloria, &
  Fulvis renaſcentem metallis
  Orcomenos, vel amica vivum

Non inferiori marmore Neritos
  Ementietur, nec Capitolia
  Mutum, Palatinive colles
  Stare ſinent ſine laude civem.

Ledaea propter denique ſidera
  Franciscvs ipſe, unaque Gregorivs,
  Omnesqve nati permanebunt,
  Quique dehinc orientur illis.

Tu

XVI

Tu noſcis ergo, quae maneat viros
  Inſculpta caelo gloria ſoſpitans,
  Et quae ſuperne divaganteis
  Limina magnanimos videbunt

Heroas, ito nunc Puer, infimas
  Terras reviſe, ac talia genribus
  Refer ſupremis, quae Africana
  Arva colunt, Aſiaeque regna.

Dixit: repente o currite ſaecula,
  Et vos benignae currite proſperis
  Horae quadrigis, ite, magni
  Saecula deproperate menſes:

Illam ſequutae Pierides diu
  Riſere poſthac, ſaecula, ſaecula
  Auro laborata, & ſecundi
  His redeant ſine labe Soles.

DABAM FLORENTIAE VI. IDUS IANUARIAS
ANNO CIↃ.IↃ.CC.XXXXV.